

gnitionis humanæ non intelligit nomine cognitionis humanæ, cognitionem homini connaturalem, sed cognitionem extra Verbum, modum cognoscendi humanum admittentem, et ei se proportionantem.

In solutione ad secundum negat S. Thomas hanc scientiam reductam esse ad actum quoad omnia, quæ cognoscere potest, quasi simul, et categorematice, quia hæc sunt infinita, sed pro imperio voluntatis reduxisse in actum id, quod congruebat debito fini secundum exigentiam negotiorum, et temporis; nec ideo frustra erat habitus potens se extendere ad infinita, quia sufficit quod ad quodlibet ex infinitis possit se extendere, licet non ad infinita categorematice. Sicut etiam non est frustra infinita Dei potentia, licet infinita categorematice non possit facere, quia sufficit quod possit syncategorematice, scilicet ex infinitis quodlibet quod vulerit.

Sed dicit pater Suarez esse creditu difficile, quod non potuerit Christus exhaurire omnia objecta hujus scientiæ per actus ab ea elicitos, et ideo adhæret alteri solutioni a Cajetano insinuatæ, quod per infinitos actus, seu species potest percurrere omnia objecta hujus scientiæ sub qualibet specie infinita considerando. Cæterum D. Thomas de hoc non tractavit, sed solum dixit, quod licet non pertransierit omnia, quæ ab hac scientia tangi possunt, unum post aliud cogitando, non tamen esset frustra talis scientia, licet non tendat in omnia actualiter, dummodo actualiter tendat in id, quod convenit loco, et tempori. Quare D. Thomas solum fuit sollicitus respondere ad ly frustra, et solvit dicendo, quod non sequitur esse frustra scientiam de infinitis, etiam si non percurrat omnia actualiter, quæ potest percurrere. An vero de facto percurrat omnia, noluit D. Thomas definere, sed nec negavit.

In articulo sexto inquit sanctus doctor, an hæc scientia fuerit distincta per plures habitus. Et respondet affirmative. Fundamentum deducit ex pluralitate specierum, quæ infunduntur ad hanc scientiam, eo quod anima humana recipit species magis multiplicatas, et minus universales, quam Angeli; ex multiplicatione autem specierum debent multiplicari habitus scientifici, quando repræsentant diversa genera scibilium. Quomodo autem ex multiplicatione specierum inferatur ista diversitas luminis scientifici, et distinctio habituum, gravis difficultas est, quæ longiori disputatione infra tractabitur.

DISPUTATO XIII.

DE OBJECTO AD QUOD SE EXTENDIT SCIENTIA INFUSA ANIMÆ CHRISTI DOMINI.

ARTICULUS I.

An potuerit per hanc scientiam cognosci evidenter mysterium Trinitatis quoad an est?

I. Vazquez hic disp. LIII, capite primo, et tomo II, prima parte, disp. CXXXV, capite secundo, et Lorca hic

disp. LX, negant per hanc scientiam Christum Dominum cognovisse mysterium Trinitatis quoad an est. Fundamentum est primo in D. Thomas, qui in hac quæstione, articulo primo asserit, quod essentiam divinam per hanc scientiam non cognovit Christus, sed solum per primam, scilicet per beatam, quod testimonium, ita exaggerat pater Vazquez, ut dicat, quod Thomistæ, qui oppositum docent, hæc verba non legisse videantur, quia si Christus cognovit per hanc scientiam mysterium Trinitatis, utique cognovisset divinam essentiam, quia essentia Trinitatis est ipsa essentia Dei; nec

potest dari evidens illius cognitio, nisi essentia divinæ evidentia detur: ergo si D. Thomas negat cognosci hac scientia infusa divinam essentiam, consequenter debet negare, quod cognoscatur ipsa quidditas.

II. Secundum fundamentum est ex ratione, quia non datur aliquid mediante quo possit evidenter cognosci mysterium Trinitatis; omnis enim cognitio, vel est rei in se ipsa, vel in alio. Constat autem, quod mysterium Trinitatis in se ipso videri non potest nisi per scientiam beatam; in alio autem videri non potest nisi sit aliquis effectus, vel causa, vel aliquid cum quo habeat necessariam, et intrinsecam connexionem tale mysterium, quia omnis evidentia demonstrativa fundatur in aliqua intrinseca connexione rei scitæ cum principiis sciendi; nullum autem horum potest concurrere ad efficiendam evidentiam mysterii Trinitatis, nam hoc mysterium non potest sciri per aliquam causam, cum nullam habeat ipsa Trinitas, quæ increata est, nec potest haberi per effectum, cum nullus effectus ad extra possit esse effectus Trinitatis, ut Trinitas, sed ut unitas est, eo quod omnis effectus debet procedere per divinam potentiam, quæ est una.

III. Nec potest cognosci in aliquo, quod respiciat ipsam Trinitatem, ut objectum, vel terminum, sicut visio beatifica, vel actus fidei, aut modus unionis hypostaticæ, nam ista solum se habent ut media extrinseca, et attingentia rem ipsam, non in ratione rei, sed in ratione cogniti, vel extrinsecus terminantis, nam ad cognitionem visionis beatificæ sufficit cognoscere illam esse visionem Dei in se, licet non cognoscatur in particulari, quid videat in ipso Deo: et ad cognitionem unionis hypostaticæ sufficit cognoscere, quod terminatur ad divinam subsistentiam, licet non cognoscatur in particulari

ad quam subsistentiam terminetur, præsertim in sententia probabiliore, quod unio ad quamcumque Personam est ejusdem speciei.

IV. Quod si dicas cognosci mysterium Trinitatis per evidentiam testificationis divinæ, contra hoc est argumentum: Quia licet possit in testificatione divina admitti evidentia quoad attestantem, non tamen quoad rem testificatam; potest enim dari evidentia, quod aliqua revelatio sit a Deo, et non a creatura; implicat tamen quod si aliquid cognoscitur in vi testificationis tamquam per medium cognoscendi, res testificata clare non cognoscatur, quia testimonium dicentis semper est extrinsecum, et solum habens vim auctoritatis in dicendo; ergo non potest rem ipsam quam dicit, demonstrare nisi auctoritative: omnis autem auctoritas solum reddit rem creditam, et obscuram: si autem aliquid amplius habet, quam testificari per auctoritatem, jam non solum erit testimonium, sed lumen quo aliquid videatur: cum ergo Christus Dominus per hanc scientiam non cognoverit aliquid obscure, et per fidem, sed evidenter non potuit habere cognitionem mysterii Trinitatis evidenter mediante testificatione.

V. Nihilominus communior sententia est inter theologos opposita, quæ affirmat per hanc scientiam cognovisse Christum mysterium Trinitatis evidenter quoad an est. Tenet Cajetanus hic art. I, Ferrariensis III contra gentiles, cap. DCXXV, §. Ad id quod ultimum, et communiter recentiores Thomistæ, et videri potest magister Cabrera hic disp. V, §. V, et Suarez disp. XXVII, sect. V, et a fortiori eam tenet schola Scoti, quia admittit posse dari cognitionem quidditativam abstractivam Dei, quæ non sit beatifica, et non solum quoad an est.

VI. Et quod attinet ad D. Thomam miror patrem Vazquez ita fuisse hallucinatum, ut hanc sententiam non viderit in D. Thoma, hoc ipso loco, quem citat pro se, id est, articulo primo hujus quæstionis; unde oportet omnia verba D. Thomæ colligere, quæ sic se habent: « Secundo vero, per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientiæ, sive ad donum prophetiæ sive ad quamcumque donum Spiritus sancti, omnia enim hæc abundantius, et plenius cæteris cognovit anima Christi: ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognovit, sed solum per primam. » Si ergo cognovit Christus per hanc scientiam omnia, quæ aliis donis Spiritus sancti cognoscuntur, sive per fidem, etc. per prophetiam autem, et alia dona Spiritus sancti cognoscitur mysterium Trinitatis quoad an est; ergo Christus per hanc scientiam illud cognovit, alioquin non cognovisset omnia, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt. Quando ergo excipit D. Thomas divinam essentiam, loquitur de cognitione divinæ essentiæ in se, seu de cognitione Dei per essentiam, et non per suos effectus; alioquin sequitur, quod non solum mysterium Trinitatis, sed etiam cognitionem Dei, ut est unus, ab hac scientia exciperet. Nam D. Thomas non excipit mysterium Trinitatis, sed essentiam Dei, quæ supponit pro conceptu absoluto, et consequenter pro Deo, ut est unus; nemo autem negat Christum per hanc scientiam cognovisse Deum, ut est unus, nec potest negari, cum cognoscat effectus Dei naturales et supernaturales, quibus evidenter ostenditur Deum esse, et ejus attributa manifestantur: ergo vel D. Thomas negaret

Christo omnem cognitionem Dei, etiam ut est unus, quod nullus dicet, vel cognitionem Trinitatis quoad an est, non excipit ab illa universali cognitione eorum, quæ per dona Spiritus sancti cognoscuntur, sed solum excipit cognitionem divinæ essentiæ, id est, cognitionem Dei per essentiam.

VII. Fundamentum hujus sententiæ est, quia per scientiam inditam cognovit Christus omnia mysteria gratiæ, ita ut per hanc scientiam perfecte potuerit illa docere, et illuminare alios: sed multa mysteria gratiæ cognosci non possunt perfecte sine cognitione Trinitatis, et ordine ad illum; ergo debuit per hanc scientiam non ignorare illud mysterium. Minor probatur, nam sacramentum baptismi datur per invocationem Trinitatis, et consequenter sine ejus cognitione cognosci non potest. Similiter opus incarnationis perfectum est per Spiritum sanctum, et ipse apparuit super Apostolos in igne, et super Christum in specie columbæ, et ipsa adoptio filiorum per gratiam est conformis imagini Filii Dei naturalis; et ipsa naturalis filiatio in Christo cognosci non potest non cognita Persona Filii, sine qua non datur naturalis filiatio: et alia multa sunt in mysteriis gratiæ, quæ dependent a cognitione mysterii Trinitatis, quæ omnia diminute, et valde imperfecte cognoscerentur a Christo, si mysterium Trinitatis ignoraretur.

VIII. Nec obstat, quod cognoscat illud per scientiam beatam, hoc enim non sufficit, ut dicatur, quod illa cognitio infusa sit perfecta intra suum genus, sed ipse cognoscens erit perfectus. Est autem magnum inconveniens, quod ipsa scientia infusa ex suo genere, et propria ratione formali diminute, et imperfecte attingat tam multa mysteria gratiæ, quæ dependent a cognitione

mysterii Trinitatis, quod in sententia opposita nullo modo cognoscitur per talem scientiam; negat enim, quod evidenter cognoscatur; obscure autem constat apud omnes, quod non cognoscitur a Christo.

IX. Nec dici potest, quod adjuvatur a scientia beata ipsa scientia infusa, ut attingat hoc mysterium; eadem enim est difficultas, quomodo possit scientia beata adjuvare infusam; nam vel scientia infusa sic adjuvatur a beata, ut vere attingat hoc mysterium, vel non: si non attingit frustra dicitur adjuvare ut attingatur; si vero attingit, vel per aliud lumen extra Verbum, vel intra: si intra Verbum, est scientia beata, non infusa; et sic nunquam verificatur, quod attingitur hoc mysterium per scientiam infusam: si extra Verbum, jam habemus, quod possit dari cognitio evidens hujus mysterii per aliquod lumen extra Verbum, quod utique pertinet ad scientiam infusam. Et certe satis absurdum est, quod per scientiam infusam, qua Christus constitutus est universus doctor Angelorum, et hominum, non possit instruere aliquid in articulis fidei, quæ præcipue agunt de Personis divinis, nec theologicos discursus, quos formamus in materia Trinitatis cognoscere, quia omnia ista sine cognitione mysterii Trinitatis non attinguntur, cum tamen per scientiam inditam in illa opinione nullo modo tale mysterium attingatur, nec clare, nec obscure.

X. Deinde etiam probatur, quasi a priori ostendendo, quomodo possit hoc mysterium cognosci evidenter quoad an est. Supponimus enim, quod Christus Dominus cognoscit per scientiam infusam quidditative visiones beatificas omnium beatorum, si quidem cognoscit naturam gratiæ per hanc scientiam, et ea quæ ex gratia consequuntur; ergo

et gratiam consummatam, quæ est visio beata: pertinet autem ad cognitionem quidditativam alicujus visionis cognoscere proprium immediatum specificativum illius, a quo intrinsece dependet in quidditate; neque enim potest cognosci quidditative specificatum ignorato specificante, quia licet extrinsecum sit, dependentia tamen ab illo, omnino intrinseca est; objectum autem specificativum visionis beata est ipse Deus in se, non solum prout unus, sed etiam prout trinus; ergo cognita visione beata quidditative, sicut non potest ignorari specificativum ejus, ita neque ignorari mysterium Trinitatis.

XI. Dices ex parte Suarez ubi supra, quod sufficit cognoscere illam visionem attingere Deum in se, non tamen opus esse, quod cognoscatur existere in tribus Personis. Nam contra hoc est, quia si intelligit quidditative ipsam visionem beatificam; ergo cognoscit quid requiratur intrinsece ad talem visionem, et quid non requiratur, sicut etiam nos per discursum indagamus ejus naturam: sed pertinet ad quidditatem visionis beatificæ cognoscere, utrum sit de intrinseca ejus ratione ita cognoscere essentiam, et Personas, ut non possit videre divinam essentiam non visis Personis; ergo Christus Dominus per scientiam infusam poterit hanc difficultatem penetrare, et resolvere, quæ pars sit vera, alioquin non perfecte cognosceret quidditatem visionis beatificæ. Non potest autem resolvi, quod visio beata ex sua ratione formali exigat cognitionem Personarum, vel non exigat, si totaliter ignoratur dari mysterium Trinitatis; ergo illud debet cognosci per hanc scientiam.

XII. Adhuc tamen respondet Vazquez secundo tomo primæ partis, disput. cxxxv, cap. iv, quod relatio notitiæ intuitivæ ad objectum pro-